

## DEDICATIO.

bertate artes pristino nitore observato legitimo ordine restituerunt. Præcipuam hic laudem debemus P. Ramo philosopho acutissimo & Oratori disertissimo, de cujus laudibus nulla unquam ætas conticescet, sed gratam hujus viri memoriam omnes excipient anni consequentes. Neque id immeritò.

Etenim logicos agros tam bene excultos nobis reliquit, ut quotidie uberri- mos fructus ex his magna cum delectatio- ne capiamus. Mathematicas artes tam faciles & planas accuratis definitionibus & divisionibus effecit, ut in iisdem sine ul- lo negotio feliciter versari liceat cuilibet. Reliquit idem discipulos quamplurimos, qui, quæ à præceptore acceperunt, niti- dora clarioraq; efficere non dubitarunt. Commendarunt ita nobis suam industri- am Salignacus, urstifius & alij, quorum labores nobis sunt gratissimi & juventuti studiosæ utilissimi.

Quam æterni Dei clementiam artiũ restituto lumine patefactam grato animo agnoscere atq; tanto thesauro divinitus nobis concesso rectè uti debemus.

Hæc altius mecum repetens, & vestro desiderio comparans, nullam rationem